

à Matrimonio rato nondum consummato resilire, & Religionem intrare permiffum est à Jure. c. *Verum de convers. conjug.* Huic fallentie universalis conformiter

- 18 Fallit *Quarid* in ultimis Voluntatibus; quia hæc ambulatoria sunt ad mortem. *l. Quod si. 4. ff. de adm. & transfer. legat.* & quidem in tantum, ut de non mutanda ultima voluntate nemo se ipsum adstringere valeat. *l. Si quis. 22. ff. de legat. 3. ibi: Nemo eam sibi eam legem dicere potest, ut à priori et recedere non liceat.*

- 19 Fallit *Quind* in contractibus innominatis, quando res adhuc est integra. *l. si pecuniam. ff. de*

Condit. causa data. Item in Deposito. l. 1. §. 2. ff. Depositi.

Fallit *Sextid* in Mandato & in contractu Societatis, si res adhuc est integra, seu si interesse alterius necdum incepterit. §. *Mandatum. 11. Instit. de Mandato. & §. Manet. 4. Instit. de Societate.*

Fallit *Septid* in Sententia interlocutoria, utpote quam Judex, qui eam tulit, revocare potest, cum officio suo ex integro nondum functus fuerit. c. *Cum cessante 60. de Appellat.*

Fallit *Octid* in appellatione, à qua semel interposita appellans pro libito recedere potest. c. *Si quis libellos. 28. C. de Appellat.*

REGULA XXII.

Non debet aliquis alterius odio prægravari.

SUMMARIUM

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Quomodo intelligenda?
- 3 Ponitur versus sensus illius:
- 4 Et probatur.
- 5 Ratio Regule.
- 6 Obijciunt ex Scriptura:
- 7 Ex Jure Canonico:
- 8 Et Civili, quòd propter peccata aliorum puniuntur innocentes.
- 9 Respondetur, quare Deus ob peccata aliena puniat aliquos.
- 10 Jus Canonicum id facit propter utilitatem publicam:
- 11 Sicut & Jus Civile.

Hæc Regula desumitur ex *l. Si quis. 33. §. Legis. C. de Inoffic. Testam.* cui etiam concordat *l. Sancimus. 22. C. de panis. & Regula 155. ff. de R. J. ibi: Factum cuique suum, non adversario nocere debet.*

Quæritur, quomodo hæc Regula intelligenda? & quis versus illius sensus sit? Ante responsum est notandum, Doctores in declaranda hac Regula non convenire; Barbofa siquidem hæc n. 2. vulgarem opinionem, quæ dicit, Regule sensum & intentum esse, ut nullus propter delictum alterius puniatur, id est rejicit, quia in hoc sensu, ut ait, non esset diversa, sed eadem cum sequenti, quæ idem dicit illis verbis: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*: non est autem verisimile, quòd Papa Bonifacius VIII duas distinctas Regulas idem significantes ponere voluerit. Verùm hæc Barbofa ratio non videtur stringere; quia uti ex ipsis verbis utriusque Regule liquet, nihilominus quævis earum diversum & distinctum ab alia importat sensum. Præfens enim Regula id principaliter velle videtur, ne quis innocens poenâ, aut damno gravetur propter alterum, quem ob delictum vel inimicitiam, malam vitam, vel ex alia causa odio habet poenam infligens, vel damnum inferens. Sequens autem Regula absolute, & abstrahendo ab omni odio vult, ut nullus sine culpa puniatur, nisi subsit causa; quod in facto contingere posset absque omni odio erga tertium. v. g. ex proprio odio, & aversione, quæ erga innocentem fertur, poenam in Jure non contentam inferens; vel ex proprio interesse, vel ex respectu humano, vel alia minus justa causa. Hinc

Resp. ad quæstionem num. præced. positam: Regula præfens principaliter intelligenda est de poena, gravamine & damno, quod inferitur innocenti propter odium, quòd injustè damnificans vel gravans ex quacunque causa fertur erga tertium, v. g. cognatum, amicum, fratrem, filium, parentem, servum familiarem innocentem; ut proin versus sensus Regule sequens sit: *Nullus innocens potest affici vel gravari poena aliqua damno, vel alio incommodo propter odium quo injustè gravans ex quacunque tandem causa fertur erga tertium v. g. consanguineum, amicum &c. familiarem inno. entis.* Sic in sensu isto Regulam intelligit Caramuel in *Theolog. fundament. n. 764. Strein. hæc. & alii.*

Probatur hic sensus præcipue per *l. Si quis. 33. §. Legis. C. de Inoffic. Testam.* ex qua desumpta habetur Regula, ibi enim propter rationem hujus Regule corrigitur lex antiqua, quæ permittitur filium innocentem exheredari à Matre præcisè ob odium, quod gerebat erga maritum, ex quo infans progenitus erat, illis verbis: *Hoc iniquum judicantes, ut aliend. odib. aliquis prægravetur.* Idem sensus clarè desumitur ex *l. Sancimus. 22. C. de panis. ibi: Sancimus, ibi esse poenam, ubi noxa est. Propinquos, notos, familiares, procul à calumnia submovemus, quos reos sceleris societas non facit. Nec enim affinitas, vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccatum igitur suos tenent auctores, nec ulterius progrediuntur, quam reperitur delictum. Hoc singulis quibusdam judicibus intimum. Concordat *l. Crimen. 26. ff. de Panis. ibi: Crimen vel poena paterna nullam maculam filio infligere potest; nam unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur.* Huc facit & ob eandem rationem, si Compromissarius eligat indignum, potestas eligendi redit ad eligentes, & ipse solus puniatur, non verò compromittentes, quos illius odio non convenit prægravari, ut poenam suam auctorem tenet juxta Regulam 155. ff. de R. J. supra n. 1. jam citatam. Item illud *Ezech. cap. 18. v. 20. ibi: Anima, quæ peccaverit, ipsa moriatur: filius non portabit iniquitatem Patris, & pater non portabit iniquitatem filii.* sicut nec uxor tenetur pro marito *l. 2. §. 3. C. Ne uxor pro marito.**

Ratio præter jam in textibus expressas ulterior est, quia justitia commutativa & distributiva exigunt, ut jus suum cuique reddatur, innocentes ab injuriis & injustis damnis, aut gravaminibus defendantur, nocentes & rei puniantur, promeriti verò condignè præmierentur: quod non fit, si plerè innocentes ex præcisè odio erga alium, ejusque delicta damnificentur, gravantur, puniantur, aut alia incommoda sustinere coguntur.

Verùm quantumvis justa & æqua ex dictis appareat Regula nostra, tamen graves patitur instantias tam ex Scriptura sacra, quam utroque jure. Ex sacris enim paginis habemus propter unius vel plurium delicta etiam alios innocentes à Deo fuisse poenitis. Sic enim tacendo plura alia exempla, propter scandala suorum filiorum populum à sacrificio retrahentium

Deus

Regula XXII. Non debet aliquis alterius odio &c. 45

Deus Heli illorum patrem è civis sustulit. *1. Reg. cap. 4. v. 18.* & propter peccatum David populum superbè numerantis, de populo innocente à Dan usque Bersebee septuaginta millia virorum seiva peste delevit.

7 De Jure Canonico à Patre & Matre hæreticis filii & nepotes innocentes catholici procreati à Beneficia ecclesiastica & officia publica inhabiles existunt c. *Quicumque. 2. §. Hæretici. & c. Statutum. 9. de Hæreticis. in 6.*

8 De Jure Civili autem propter crimen læsæ Majestatis etiam innocentes filii infames evadunt, atque à materna, avitæque & propinquorum successione excluduntur. *l. quisquis. 5. C. ad Leg. Jul. Majest.*

9 Respondetur tamen & quidem ad exempla sacre Scripturæ, inprimis à Deo nullum innocentem poenâ æternâ, vel aliâ animæ nocivâ puniri: temporali tamen quandoque propter unum etiam alios affici, vel quia, etiam si appareant, tamen reverso innocentes non sunt, sed ejusdem criminis coram oculis divinis directè vel indirectè rei existunt, ob quod merito puniuntur, uti contingit in Heli, qui debetè corrigere filios negligens, etiam illorum criminum factus est particeps. Vel, quia licet innocentes in uno, in multis tamen aliis peccatis rei coram Deo inventiuntur, indeque justè puniuntur. Vel, quia innocentes aliquo modo ut filii ad parentem, subditi ad principem pertinent, puniuntur, ut delinquens poenam æcerbius sentiat, dum interea alii, si poenam ob peccata alterius commissa à Deo immittam in his innocentes patienter sustinent, alia sua peccata extinguunt, animæ dona, gratias & merita sibi cumulant, & salutem æternam facilius conse-

quantur, sique ex hujusmodi poena plus lucri, quam damni acquirunt, ac propterea afflictiones à Deo immittæ respectu delinquentis duntaxat nomen vere poenæ: respectu illorum, qui propter alium patiuntur, nomen medicinæ doni & boni spiritualis meretur juxta *D. Thom. 1. 2. q. 87. a. 1.*

Ad dispositiones Juris Canonici respondetur, per illas propter alios puniri in nonnullis etiam innocentes non tam odio erga illos v. g. hæreticos parentes, quam favore cultus divini, ecclesiæ, & communis utilitatis ejusdem, quæ exigit, ut non nisi ab omni suspitione mali alienos habeat ministros, quales non sunt illegitimè nati, & hæreticorum filii, utpote de quibus non immeritò metuit Ecclesiæ, ne imitatores sint incontinentiæ & perfidie paternæ. *cit. l. quisquis, §. filii veri. C. ad Leg. Jul. Majest.*

Ad leges civiles respondetur, eas quoque non tam odio delinquentis, quam curâ & amore boni communis & publici poenâ in aliquibus afficere innocentes ad avertenda graviora, bonoque publico magis nociva, præsertim læsæ Majestatis crimina, quatenus quisvis sciens, hujusmodi crimina etiam in filiis innocentibus tam graviter puniri, ab his committendis magis & efficacius absterreatur.

Quod si alicui hæc repositiones iniquis placeant, & per Jura in aliquibus casibus nonnullis etiam aliorum odio contra Regulam gravari contendat, respondetur, Regulam fallere in casibus, in quibus ob odium erga unum etiam alium ex justa causa boni publici gravari vult; ut proin hæc Regule non minus ac sequenti apponi valeat exceptio: *Nisi subsit causa.*

REGULA XXIII.

Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.

SUMMARIUM

- 1 Regula quomodo intelligenda?
- 2 Ponitur versus sensus illius.
- 3 Sine culpa non datur poena. ibid.
- 4 Nisi ob causam boni communis.
- 5 Declaratur exemplis Juris Canonici:
- 6 Simonie ab alio commissæ poenam quis non incurrit, si isto prohibente, vel protestante committitur. ibid. §. Et Civitis.

Quæritur, quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis versus illius sensus sit? Resp. I. Sicut præcedens Regula vult, ut nullus innocens puniatur, injustè gravetur, damnum vel incommodum patiat propter præcisè ex odio alterius: sic præfens universaliter, & abstrahendo ab omni odio dispositum indicat, ut nullus puniatur sine culpa ex quacunque tandem minus justa bonam commone non concernente causa, v. g. ex interesse proprio, ex respectu humano, ex amore erga alium forsitan inimicum puniri seu puniendi &c. Si quidem per verba: *nisi subsit causa*: Regula non nisi justam, & bonum commune concernentem causam intelligit juxta dicenda infra n. 2. & 3. Hinc

2 Resp. II. Versus sensus Regule hic est: *Nemo est puniendus vel gravandus ob aliorum actus commissio-* nem vel omissionem, *qua dolo & culpa vacat, nisi ex justa bonum commune seu publicum concernente causa.* Primæ partis, ut nemo sine culpa puniatur, ratio est; quia ubi non est noxa, ibi non est poena. *l. Sancimus. 22. C. de Panis. ibi: Sancimus, ibi esse poenam, ubi est noxa.* siquidem *poena est noxa vincta l. aliud. 131. pr. de Verb. Sign.* ac insuper poena est mensura culpæ juxta illud *Deut. 25.*

ibi: Juxta mensuram peccati erit plagorum modus. Hinc ubi nulla culpa, nulla quoque esse debet poena. c. *Cognoscetes. 2. de Constit. ibi: Rem, qua culpa caret, in damnum vocari non convenit.* huc quadrat etiam illud *S. Augustini* essatum *lib. 2. Retract. cap. 6. ibi: poena, si justa est, peccati poena est, & supplicium vocatur.*

Ratio secundæ partis, seu potius exceptionis, videlicet, quòd quis etiam sine culpa ex justa bonum commune concernente causa, seu propter utilitatem publicam puniri vel magis propriè loquendo, gravari, & incommodari valeat, hæc est; quia bonum commune, seu publicæ & communis utilitatis est præferenda privatæ: consequenter, si illa exigit, ut privatus etiam sine culpa, puniatur, gravetur, damnum temporale sentiat, hic meritò sustinere debet. *arg. l. penult. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* ubi ad sedandum tumultum decurro inconsulto Principe decapitari potest, quod aliàs sine consensu Principis fieri nequit: cum Concord.

Declaratur & firmatur Regula alterius exemplis ex Jure desumptis; Sic enim præter ea, quæ ad præced. Regulam n. 7. & 8. adduximus, ex utroque Jure alterius beneficium dimittere tenetur, qui illud acquisivit per Simoniam ipso ignorante ab alio commissam. c. *Nobis 27. de Simonia.* (nisi impetrans expressè prohibuerit, vel protestatus fuerit, ne aliquid temporale detur pro beneficio: textu expresso c. *Sicut tuis. 33. de Simon.*) quia communis Ecclesiæ utilitas requirit, ut summe eidem nocivæ simonice vitium omnibus odio fiat, indeque magis extirpetur. Sic innocens uxor sine culpa puniatur, suoque jure conjugali privatur. *arg. c. quoniam. 5. §. Si autem, Ut lite non contestata. ibi: quoniam*

niam in conjugio multi casus occurrunt, in quibus Conjuges sine culpa sed non sine causa continere coguntur.

- 5 Sic de Jure Civili propter bonum commune, videlicet, ut veritas adulterii bono communi plurimum præjudicium erant, servus torquetur, tortus autem domino amplius non restituitur. Dynus hic arg. l. si postulaverit. ff. ad L. Jul. de Adulter. & l. fin. ff. de calumniat. Sic propter bonum commune dominus punitur, quod causam prosequi non amplius possit, si procurator illius, etiam absque culpa domini, fatalia appellationis labi permittit. l. 1. §. fin. ff. quando appellat. sit. Sic universaliter quia potestas Supremi Principis Ecclesiastici ad beneficia & officia Ecclesiastica, res & jura ad loca & personas

ecclesiasticas pertinentia se extendit. can. cuncta. 17. cau. 9. q. 3. & c. licet. 2. de Præbend. & Dignit. in 6. potest de illis non quidem pro libitu, sed ex causa justa publica propter communem utilitatem & Religionis bonum disponere cum præjudicio & gravamine tertii innocenti: Sicut à pari quia potestas Supremi Principis secularis circa honorem & officia civilia, res, bona & Jura privatorum veritatur, arg. l. fin. C. de quadriem. præscript. de iis disponere, eaque subditis legali vel alia ordinatione etiam innocentibus auferre, transferre, & denegare valet, si communis utilitas Reipublicæ ita exigit. Abbas in c. Quo in Ecclesiis. de consuet. n. 7. Gaill. lib. 2. observ. 26. num. 3. cum communem aliorum.

REGULA XXIV.

Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur: cum habeat parere necesse.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
2 Est intelligenda non solum de Judicis, sed etiam Principis, Superiorum, Dominorum, & Parentum mandatis.
3 Ponitur versus sensus Regula.
4 Proceit etiam in dubio, an eorum mandatum sit justum.
5 Confirmatur exemplis ex Jure.
6 Fallit Regula in casu, quod quid contra jus divinum.
7 Vel etiam clarum & manifestum jus humanum præcipitur.
8 Fallit insuper in Judice, si hic aliquid ad suum officium non pertinet mandat.

Hæc Regula sumpta est ex l. Non videntur data. 167. ff. de R. J. ibi: qui jussu Judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, qui parere necesse habet.

Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis versus illius sensus sit? Resp. I. Regula intelligenda est non solum de mandato Judicis, sed etiam Principis. l. quod Princeps. 23. ff. de aqua pluv. arc. & quorundam Superiorum ac Dominorum respectu suorum subditorum, nec non Parentum respectu filiorum, ita ut à dolo immunis censetur non tantum ille, qui ex mandato Judicis, sed etiam qui ex mandato sui Principis, Superioris, Domini aut Parentis quid facit aut omittit; quia Ratio Regulae de quolibet ex præfatis obediens pariter procedit, videlicet, cum habeat parere necesse. Hinc

Resp. II. Versus sensus Regulae hic est: Quicumque ex mandato Judicis, vel cujuscunque legitimi Superioris sui aliquid facit vel omittit, à dolo & culpa immunis censetur: Per Rationes & Jura allegata. Probat uterius tam ex Sacra Scriptura, quam utroque humano Jure. Nam Paulus ad Romanos cap. 13. de Principibus dicit: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati. Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. De obedientia debita Superioribus & præpositis præstanda ad Hebr. cap. 13. v. 17. Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. De Dominis ad Ephes. 6. v. 5. Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore sicut Christo. quæ obedientia Principibus, Superioribus, Dominis & Parentibus debite præstanda etiam alibi in Scriptura sicut & in utro-

que Jure passim, indeque certa habetur, quod subditi habeant parere necesse: necessitas autem tollit præsumptionem doli. l. Mater. 2. C. de Calumniat. & inducit præsumptionem positivam, fraudem & dolum abesse. l. Si stipulatus. 81. §. 1. ff. de Solutio. Proceit Regula etiam in casu, quo Judex vel Superior indifferenter præcipiat, vel ubi dubium est, num justè vel justa præcipiat; quia Judex (idem dicitur de Superioribus) quæ facit, & jubet, justè facere & jubere præsumitur, arg. c. Sicut. 16. in fine. de Sent. & re judic. & l. fin. C. de offi. Civil. Jud. ibi: Non arbitramur. præsertim cum in dubio melior sit conditio possidentis. arg. in part. de R. J. in 6. & ff. de R. J. Judex autem in possessione præcipiendi existat. Accedit argumentum à contrario: qui non pareret judici, doli reus præsumitur; nam juxta Regulam Juris Civilis 109. ff. de R. J. Non potest dolo cavere, qui imperio Magistratus non paruit: ergo.

Confirmatur Regula exemplis Juris: sic enim si debitor ex præcepto Judicis solvat debitum Minoribus absque autoritate Tutoris, non tenetur amplius Minor solvere, nec minor habet actionem ad solutionem denuo præstendam. l. ait Praetor. 7. §. Remittitur. ff. de Minoribus, quia habuit parere necesse. Sic etiam, si quis ex mandato Judicis sepulchrum destruxit, quo mediante aqua pluvia nocere poterat, non tenetur: Etione de sepulchro violato, quia autoritas Judicis ipsum excusat. Dyn. hic. n. 2. arg. l. Quamquam. 4. prim. ff. de aqua pluv. Sic insuper si quis. factò apud aliquem deposito, moritur relictis quatuor heredibus, & depositarius sui dantaxat eorum depositum ex mandato Judicis restituit, dolo non egisse præsumitur, nec tenetur alius actione depositi. l. si stipulatus. 81. §. Si lancem. ff. de Solut. quia mandato Judicis habuit parere necesse.

Queritur II. An, & quas patitur Regula 24. Fallentis? Resp. Eam fallere Primò in casu, quo Judex, Princeps, aut Superior mandat aliquid Juri divino aut naturali manifestè adversum quia in hujusmodi casu non habet parere necesse, sed potius tenetur non parere juxta illud. Al. 4. Si justum est in conspectu Dei, vos potius quam Deum audire, judicare. & rursum ait cap. 5. Obedire oportet magis Deo, quam hominibus. Hinc si Judex ecclesiasticus etiam sub poena excommunicationis præcipiat mulieri, ut viro suo reddat debitum conjugale, parere nec tenetur, nec salvâ conscientia potest, si ipsa occultè impedimentum matrimonium dicitur conscientia esse, licet id probare nequeat, textu expresso c. Inquisitioni. 44. de Sent. Excom. ibi: Si alter conjugum pro eorum sit impedimentum conjugii, quamvis illud apud Eccle-

Ecclesiam non possit probare &c. debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale.

- 7 Fallit Secundò, si quid præcipitur, quod contra jus clarum manifestè militat; siquidem etiam in tali casu parere non habet necesse, sed resistere potest, ac debet. Dynus hic cum communem aliorum. l. omnes. 33. C. de Decur. & l. Evidenter. de Excusat. muner. cum concord. apud Dynum hic n. 4.
8 Fallit Tertio in Judice, si mandat aliquid, quod ad suum non pertinet officium. Ratio est; quia Ju-

dici in iis tantum parere necesse est, in quibus suò fungitur officio, non item in aliis, arg. l. factum. 170. ff. de R. J. ibi: Factum à Judice, quod ad officium eius non pertinet, ratum non est. Et l. 1. C. si non compet. etque idem, si Judex rem ad ipsius officium non pertinentem mandat, ac si extra territorium suum jus dicat, indeque faciat, quod ei impunè non pareatur. l. fin. ff. de Jurisdic. ibi: Extra territorium jus dicenti impune non paretur; idem est, si supra Jurisdictionem suam velis jus dicere.

REGULA XXV.

Mora sua cuiilibet nociva est.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
2 Quid hic intelligatur per moram?
3 Mora aliqua est ex persona, quæ etiam regularis vocatur.
4 Alia ex re, seu irregularis, ubi jus & dies interpellat pro homine. Declaratur exemplis. & n. seq.
5 Ponitur versus sensus Regula.
6 Culpabiliter morosus tenetur ad estimationem rei, etiam si casu perierit.
7 Item ad componendos fructus:
8 Atque ad interesse, & usuros:
9 Nec non ad subeundam panam contractui adjectam.
10 Fallit Regula in fidejussore, cui aliena, Principalis videlicet debitoris mora nocet.
11 Idem est in contractu Societatis:
12 Ac in parente respectu filii.
13 Fallit item, quando in mora existens moram legitime purgat.
14 Item in casu, quo debitor solvere voluit, & creditor non acceptavit.

Hæc Regula desumpta est l. In condemnatione. 173. §. Unicusque. ff. de R. J. ibi: Unicusque sua mora nocet. & l. Emptor. 12. ff. de aqua pluv. arc. aliique à Gloss. citatis hic.

Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis versus illius sensus sit? Ante responsum præmittendum est, quid, & quotuplex ad propositum sit mora, de qua loquitur Regula præfens. Sciendum itaque, quod etsi latè loquendo nomine moræ veniat omnis dilatio, tarditas, & procrastinatio, ad propositum tamen accipitur pro culpabili & damnosa, seu nociva dilatione dandi vel solvendi, seu solutionem acceptandi, vel faciendi aliquid eo tempore, quò quis debet & potest: ut si quis non præstat vel non acceptat solutionem tempore, quo id facere potest & debet. Juxta quod exemplum Barb. n. 1. cum multis aliis allegatis dicit: Moram ad propositum esse dilationem culpofam circa solvendum vel accipiendum creditum. Simili ferè modo ad propositum definitur apud Strein: Mora est culpa prætermissi officii in solvendo, recipiendove debito, quæ alteri nociva est: Vel est frustratio debitoris non solvens, vel creditoris non accipientis. Verum cum non tantum in solvendis & recipiendis debitis, sed etiam in aliis obligationibus præstandis culpabilis datur mora, prima definitio videtur melior.

Mora sic sumpta duplex est: una ex persona, quæ etiam Regularis communiter vocatur: altera ex re, quæ mora Irregularis nuncupatur. arg. l. Mora. 32. ff. de usur. & fruct. Ex persona interventit culpabilis mora, quando is, cui debetur, monet, seu

interpellat, ut debitum ex contractu v. g. venditionis & emptionis sine determinatione temporis contractum eidem solvatur; facta enim hujusmodi competentem monitione solvere ulterius differens in culpabili mora solvendi est, & ad damnum ex hac mora postea secutum tenetur. Ad quod tamen necessarium requiritur dicta prævia monitio, seu interpellatio pro solutione præstanda; quamvis enim in omnibus obligationibus, in quibus certa dies vel tempus non apponitur. statim, ac ipsa obligationis die quis tenetur. l. In omnibus. 14. ff. de R. J. ibi: In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præfenti die debetur; tamen ut debitor in culpabili mora ex persona constituitur, necesse est, ut opportuno tempore prius saltem semel interpelletur. arg. cit. l. 32. ff. de usur. & fruct.

Mora ex re, seu irregularis est, quando debitor non solvit aut satisfacit eo die vel tempore, quo, ut solvat sine ulla interpellatione creditoris, jus ipsum disponit & monere censetur, prout fit in omnibus contractibus, in quibus contrahentes ipsimet certam diem vel tempus pro solutione præstanda præfigunt: eò quòd in his, Jure sic disponente, dies ipsa determinata pro homine interpellat, indeque eà elapsa in culpabili mora existat debitor, textu expresso l. Magnam. 12. C. de contrah. stipul. ibi: Sanctius, ut, si quis certo tempore futurum se aliquid vel daturum stipulerit, vel, quæ stipulatur voluit, promiserit, & adje. erit, quòd si statuo tempore minime hæc perfecit fuerint, certam panam dabit, scilicet minime se posse debitor ad evitandam panam adjuvare, quòd nullus eum admonuit. cum concord.

Sic etiam sur à die commissi furti semper est in culpabili mora restituendi, quæ ei nocet, jure ipso sic disponente, & ut statim restituat, furem momento. l. fin. ff. de condic. furti, junctâ l. Merito. 19. ff. de vi & vi armata. Sic pariter in contractu emptionis, ubi nullam tempus certum pro solutione determinatum est, disponente & momento jure emptor fructus ex re empti, pretiò nondum solutò, interea perceptos sine ulla interpellatione venditoris ei restituere debet, in quantum ipsius interest, & non restituens in culpabili mora est. l. Curabit. 5. C. de Action. empti. Cæterum hæc mora idèò vocatur irregularis, quia regulariter loquendo mora ex interpellatione creditoris nascitur, arg. cit. l. Mora. ff. de usur. & fruct. His præmissis:

Resp. ad questionem n. 2. postam: Regula non tantum de mora ex persona, sed etiam ex re venit intelligenda, ut proin versus illius sensus sequens sit: Quando debitor id, quod debet, tempore debito non præstat, mora ipsi, non creditori nociva est, sive ab homine, creditore videlicet, sive à Jure, aut statuta die fuerit interpellatus, ita, ut ad omnia damna & incommoda ratione moræ secuta rescuenda teneatur. per Jura citata, & adhuc citanda.

- 7 Declaratur, firmaturque Regula & sensus illius per effectus moræ ex Jure desumptos, quorum aliquos specificat Dynus hic n. 1. & seqq. Sic enim in primis tenetur culpabiliter morosus prestare estimationem rei debitæ v. g. equi, qui tempore moræ perit, est interitus casu conigerit l. quod te. ff. de Reb. credit. si cert. petat. l. si in Asta. 12. §. fin. ff. de pos. cum concord. à Dyno citatis.
- 8 Dein tenetur ad fructus compenlandos & quidem in contractibus bonæ fidei à tempore inchoate moræ. l. si quis honorum. 23. ff. de legat. I. l. Mora cit. §. 2. l. qui solidum. 78. §. etiam. ff. de legatis II. Dynus hic & Peck. n. 21.
- 9 Ulterius tenetur ad interesse & usuras, quæ peti possant, & augmentur à die moræ; quod in odium debitoris ita constitutum habetur l. Ratio 3. §. Si per venditorem. ff. de action. empti. & l. Si Kalendis. 11. ff. de Re judicat.
- 10 Rarius tenetur ad subeundam pœnam, si quam ratione moræ contrahentes statuerunt cit. l. Mora. §. 2. ff. de usur. & fruct. Peck hic loc. cit. ubi plures moroso debitori nocivos effectus enumerat. Item qui Minori aliquid debet ex legato fidei commisso, bonæ fidei contractu, illud statim sine ulla interpellatione hominis, ipso monente sine ulla interpellatione incipit, solvere tenetur, & non solvens in mora constitutus censetur, indeque ad damna & usuras obligatur. l. In Min. 3. C. in quibus caus. restitutio neess.
- 11 Queritur II. An, & quales Regula XXV. patiantur Fallentias? Resp. Eam fallere in eo, quod mora non tantum ipsi moroso, sed etiam alii nociva sit, & quidem primo in fidejussore, utpote cui nocet mora in solvendo existentis debitoris principalis l. Mora. 88. ff. de V. O. ita ut teneatur fidejussor etiam ad damnum, & interesse, saltem si in omnem casum promissit. l. quæro. 54. pr. ff. locati, conducli. Dicitur autem notanter, saltem si in omnem casum se obligavit; quia non desunt auctores apud Barb. hic n. 9. docentes, fidejussorem, si in omnem casum expresse non promissit, ad debitum principale quidem, ad damnum & interesse verò non teneri, contradicente Glossa hic, Strein, & aliis volentibus, fidejussorem semper censeri in omnem casum fidejuberem. l. Si fidejuss. 7. ff. de Fidejuss.
- 12 Fallit secundò in casu quo duo socii sunt obligati, ubi mo a unus nocet alteri socio. l. penult. ff. de duobus reis. ibi: Ex duobus reis ejusdem Stichi promittendi factis, alterius factum alteri quoque nocet. & l. In condemnatione. 173. §. 2. ff. de R. J. ibi:

REGULA XXVI.

Ea, quæ sunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, non subsistunt.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Quid per officium Judicis intelligatur?
- 3 Ponitur verus Regule sensus.
- 4 Declaratur Jure Exemplis.
- 5 Index quando nulliter agit? ibid.
- 6 Non tantum inferior, sed etiam supremus Judex nulliter agit, si excedit limites sui officii?
- 7 Etiam si utiliter agit; quia Non sufficit bonum agere, nisi etiam bene fiat.
- 8 In dubio, an Judex excedat limites sue potestatis, stat præsumptio pro Judice.
- 9 Quivis in alieno territorio existens sortiri ibidem potest forum ratione delicti, contractus. &c.
- 10 Valet citatio subditi extra territorium existentis.
- 11 Fallit Regula in iis, quæ sunt potestatis ordinis.

Unicuique sua mora nocet, quod & in duobus reis promittendi observatur; quia sociorum communis causa commodi & incommodi est, & quilibet sibi imputare debet, qui minus diligentem socio te adjunxit. §. fin. Instit. de Societ. Nam qui parum diligentem socium sibi assumit, de se queri, sibi que imputare debet.

Fallit tertio quoad actionem de peculio, ubi mora filii patri nocet. l. cum filius. 49. pr. ff. de V. O. quamvis omnes has tres fallentias verè tales esse aliqui negent, eò quod filius cum patre, fidejussor cum principali creditore, socius cum socio in hujusmodi casibus idem fitione juris esse velint.

Fallit quarto, quod nec ipsi debitori sua mora sit nociva in casu, quo delictor moram suam legitime purgat, remonstrando, se in mora culpabili non fuisse, ut si subterfugia non querit, sed de fidejussoribus & aliis sollicitè indagat, quorum auxilio creditori satisfieri queat. l. Sciendum. 21. ff. de usur. & fruct. quia in tali casu mora culpabilis adesse non videtur. Legenda in ordine ad hanc fallentiam est Glossa hic varia Jura pro & contra allegans & concilians sub distinctione, quòd ubi dies præfigitur à Jure pœnam imponente & dies præfixa culpabiliter non observatur, mora purgari non possit (pœna enim semel commissa non purgatur) & sic intelligi multa Jura, ac præsentem Regulam vult: nisi in casu aliquo moram purgari posse specialiter caveatur.

Huc pertinet, & Fallit Regula quinto, quando debitor non quidem illò, quò debuit, eo tamen tempore solvit, antequam creditor aliquod damnum passus est: vel solutionem elapso jam debito tempore obtulit, & creditor, est potuerit, eam non acceptavit; cum hujus posterioris morà purgatur prior. l. Illud. 17. ff. de Pericul. & commod. ita ut debitor ab obligatione sustinendi moræ nocumenta absolvat: exceptò à pœnà à contrahentibus constituta. Gloss. hic. quam ipsam tamen prestare non tenetur, si docet, quòd à præstatione debiti absque propria culpa fuerit impeditus etiam ipso tempore, quò alias solvere tenebatur l. quod te. 5. ff. de reb. cred. cum universali ter loquendo præsens Regula loqui censetur de mora, quæ dolus & culpam præsupponit. cit. l. quod te & ibi Bart. Taccin. hic n. 6. Farin. Tom. 1. Consl. 15. n. 36. & magis patet ex Regula 60. h. t. Non est in mora, qui potest exceptione legitima te tueri. arg. can. Biduum. 29. can. 2. q. 6.

- 11 Item, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ.
- 12 Et in Episcopo injustè expulso.

Desumitur hæc Regula ex l. Factum. 170. ff. de R. J. ibi: Factum à Judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est, cui concordat l. fin. ff. de Jurisdic.

Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Per officium Judicis hic intelligi potestatem & jurisdictionem à Lege, Canone, vel homine Judici concessam ad debite & legitime examinandas, tractandas, judicandas, expediendas causas & negotia ad suam potestatem, seu jurisdictionem pertinentia: ut proin Judex tunc aliquid, quod ad officium non spectat, agere dicatur, quando transgreditur limites concessæ sibi potestatis & jurisdictionis; five dein

id faciat circa rem & causam sub potestate & jurisdictione non comprehensam, five circa personam jurisdictioni illius non subiectam, five extra territorium sue jurisdictioni præfixum, five contra præscriptam Juris formam & ordinem. Quæ omnia & singula à Judice facta juxta Regulam nulla & invalida sunt per rationes & Jura infra alleganda. Hinc

3 Resp. II. Verus Regule sensus hic est: Omne id, quod Judex ultra limites potestatis & jurisdictionis sibi concessæ, vel contra præscriptam Juris formam facit, nullum & invalidum est. Ratio est; quia tota vis & valor eorum, quæ à Judice geruntur, fundatur in potestate publica, & jurisdictione sibi data, ac præscripta: consequenter ubi hoc fundamentum desinet, valorem quoque actuum ab eo deducere necesse est. Barb. hic n. 1. cum Gloss. communiter recepta in l. 1. de Jurisdic. arg. c. forus. 10. §. Judex. de V. S.

4 Declaratur & firmatur Regula sensusque illius exemplis Juris. Sic enim imprimis si Judex laicus judicat & condemnat, quem constat esse Clericum; vel laicum sub ipsius jurisdictione non existentem, sententia ipso jure est nulla, utpote à non competente Judice lata. c. At si Cleric. q. pr. de Jurisdic. l. 1. & per eorum maxime. l. fin. C. Si à non compet. l. fin. de Jurisdic. cum concord. apud Dynum; Item si pupillo dat tutorem sue jurisdictioni non subiectam, vel pupillo sibi non subiecto tutorem assignat, utraque assignatio ipso jure invalida est. l. Scire oportet. §. fin. ff. de Excus. Tut. Item si causam matrimonii cognoscit & judicat &c. Item si actus jurisdictionis extra suum sibi competens territorium exercet, vel ibi sententiam definitivam fert, cuncta sunt nulla & invalida c. fin. de constit. in 6. & l. fin. ff. de Jurisdic. Item si fert sententiam parte altera non audita, invalida est sententia. l. Ea, quæ & l. consentaneum. C. quomodo & quando judic. Eadem nullitas habetur, si Judex parte utraque non consentiente tempore seriarum procedit. l. 1. §. Si verò. ff. de fer. Pariter nulla est sententia à Judice lata sine prævia causæ cognitione. l. Nec quicquam. 9. ff. de offic. Procons. quia in his cunctis Judex limites sue potestatis egreditur, & contra præscriptam Juris formam, consequenter nulliter agit.

5 Et procedit Regula non tantum in inferiore, sed etiam supremo Judice ac Principe; cum & hic, si extra territorium sue provincie, vel in aliquem sibi nulla ratione subditum, vel in causa ad se non pertinente jurisdictionem & potestatem suam exercere attentaret, nulliter ageret: ut si Rex Poloniæ in ditionibus Romani Imperii jurisdictionem exercere, vel Papa invidem seu paganum Ecclesiæ non subditum excommunicare vellet. Strein hic numer. 4. Sylvest. §. Papa. cum communi aliorum per rationes & jura citati universali præxi confirmata.

6 Insuper procedit Regula etiam in casu, quo Judex five inferior, five supremus bonum & utile quid, sed ultra suam potestatem facit, judicat, aut ordinar. Strein hic n. 4. cum aliis & Glossa can. bene quidem. 1. & can. si Imperator. 11. dist. 96. & c. Eccl. sua 10. de constit. ubi statutum Basilii de non alienandis rebus

Ecclesiæ etiam ipsis Ecclesiis proficuum ex ea ratione fuit reprobatum, quòd ad ejus ceu Principis laici non spectat officium de rebus sue personis Ecclesiasticis statutum condere. Simile quiddam accidit post appellationem ad Papam; post eam enim nil debet innovari per inferiorem Judicem, & si fecus fiat, irritum est & inane. arg. c. Dilectus. 55. de Appell. Nam ut Glossa ait hic: Generale est, quòd non sufficit bonum facere, nisi & bene id fiat.

Verùm lactenus dicta de Regula & sensu illius procedunt in iis dumtaxat, quando sufficienter constat, hoc vel illud non spectare ad officium Judicis, seu potestatem & jurisdictionem illius, non verò ubi dubitantur, ut bene notat Glossa hic verò non spectat. & sequitur Barb. hic nu. 2. Taccia. nu. 7. Strein cum communi aliorum; nam ubi dubium est de potestate & jurisdictione Judicis, valent interim acta & sententia illius, utpote pro quo stat præsumptio, cum ad ejus munus spectet examinare, quæ ad suam jurisdictionem pertinent. arg. l. Si quis ex aliena. 5. ff. de Jurisdic. ibi: Prætoris enim est, estimare, an sua sit jurisdiclio; vocati autem, non continentur auctoritatem Prætoris. Quod si aliqui à Jurisdictione se exemptos prætendunt, providè statim in eadem lege subiungitur: ut in jus vocati veniant, privilegia sua allegaturi; alioquin pœnis subiacent.

Obijciunt 1. contra Regulam: Valet citatio non subditi in territorio Judicis existentis: l. Si quis 7. ff. de Judic. Resp. hoc non obstat Regulæ; quia quivis etiam in alieno territorio existens valeat sortiri potest forum Judicis territorii, v. g. ratione delicti, contractus &c. uti latè dictum lib. II. Tit. 2. §. 3. & 4.

Obijciunt 2. Valet citatio subditi extra territorium existentis, adeò, ut si citatus non compareat, excommunicari queat. c. Tuae. 3. ut litte non consest. & c. Ex tua. 11. de Cleric. non resident. Resp. Judicem citando subditos in alieno territorio contumaciter absentes, eosdemque excommunicando non transgreditur limites sue potestatis; cum hujusmodi citatio vel in ipso territorio Judicis ad valvas affigi, vel publicè promulgari, vel per litteras aut nuncium sine ullo strepitu judiciali alienæ jurisdictioni præjudicialia fieri valeat, & excommunicationis sententia lata in subditum extra territorium existentem, illius animam invisibiliter liget, uti bene ratiocinatur Abb. in c. fin. de Foro compet.

Queritur II. An, & quas Fallentias patitur Regula XXVI? Resp. Eam fallere 1. in illis spiritualibus, quæ potius dependent à potestate ordinis, quàm jurisdictionis; nam Episcopus consecrans alienam Ecclesiam vel Altare, vel ordinans alienum subditum etiam incivò vel invitò propriò Episcopò, est illicite agit, valide tamen consecrat & ordinar Gloss. hic claris Juribus.

Fallit 2. in iis, quæ sunt voluntarie jurisdictionis: sic enim Episcopus etiam extra territorium suum existens potest conferre beneficia per dicta lib. III. Tit. 5. de Præb.

Fallit 3. in Episcopo injustè expulso à sua civitate & Sede Episcopali; talis enim ex speciali dispositione Juris in vicino Episcopatu suam jurisdictionem erga sibi subditos valide & licite exercere potest. Clemens. unic. de Foro compet.

REGULA XXVII.

Scienti, & consentienti non fit injuria, neque dolus.

SUMMARIUM.

- 1 Hæc Regula unde desumpta?
- 2 Et intelligenda in sensu copulativo, non disjunctivo. Scire, & scire debere ac facile posse pro eodem habentur.

Reiffenstuel Jus Canon. Tom. VI.

- 3 Ponitur verus sensus Regulae.
- 4 De lararum exemplis Juris & n. seg.
- 5 Sciens & liberè consentiens censetur cedere Juri suo.
- 6 Injunctio volens in Clericum volentem trahit secum excommunicationem.
- 7 Non item jocofo mutua Clericorum.
- 8 Raptus virginis scientis & consentientis punitur & quare. Dolosa persuasio plus est, quam violenta coactio. ibid.
- 9 Raptus verè consentientis virginis non inducit impedimentum matrimonii. ibid.
- 9 Ex metu scienter consentiens patitur injuriam.
- 10 Adhuc furti competit domino consentienti in furtum: quando? & quare?
- 11 Mala facta, quae trahi possunt in exemplum, puniuntur, etsi non sint perfecta. ibid.
- 11 Liber consentiens Martyrum in torturas & mortem quare non exiit tortores ab injuria.
- 12 Regula fallit in consentientibus in prohibita de Jure divino.

Desumitur hæc Regula ex l. Nemo videtur. 135. ff. de R. J. ibi: Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt. Concordat l. Cum Dominationes. c. de Transf. & alia à Glossa citatae hic.

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam intelligendam esse copulativè non disjunctivè, ita ut conjunctim quis sciat, simulque consentiat, & quidem liberè, non vi aut metu coactus, sitque consensus in id, in quod quis consentire potest, seu de Jure non prohibetur. Taccin. hic n. 2. Glossa hic communiter recepta. Sufficit autem scientia non tantum actualis, sed etiam præsumpta talis, quam debet quis habere, etsi non habeat. Strein hic n. 1. quia qui ignorat, quod scire debet, non meretur excusationem. c. 1. de postulat. Præl. cum scire & scire debere, ac facile posse pro eodem habeantur c. fin. §. Si quis, de clandest. Despons.

3 Resp. II. Verus sensus Regulae sequens est: *Ei, qui aliquid sufficienter intelligit, & in illud nulla vi, necloque metu coactus liberè consentit, nec injuria nec dolus fieri censetur.* Ratio Regulae est; quia nullus injuriam patitur, cujus jus non violatur; sed illius, qui scienter & liberè consentit, jus non violatur: cum juri suo, quod in aliquid habet, consentiendo in illud, cedere censetur.

4 Declaratur & firmatur exemplis Juris. Sic enim, si quis ingenuus scienter contrahit matrimonium cum serva, vel si ingenua scienter & voluntariè contrahit cum servo, non potest exceptionem facere ob dolam aut injuriam, sicut posset, si ignoranter id fecisset, textu claro can. Si quis ingenuus. 4. & can. si femina. 5. cau. 29. q. 2.

5 Sic pariter qui vendit liberum hominem scientem & consentientem, non tenetur actione injuriarum. l. 1. §. usque adeo. ff. de Injur. Et qui retinet liberum hominem volentem & consentientem, non tenetur interdicho de libro homine exhibendo l. Quod & 3. §. si quis volentem 5. ff. de homine libero exhib. Rarius si quis emit domum, cui servitutem annexam scit, non habet de illa exceptionem l. 1. ff. de action. empti & venditi. Sic universali ter qui utitur, vel fruitur jure alterius benè scientis & liberè consentientis: item qui accipit, retinet, vel consumit rem alterius probè scientis & liberè consentientis, non infert huic injuriam, neque dolam; quia liberè consentiendo videtur in hoc cedere juri suo, siquæ in hoc jus illius non violatur, & consequenter nec injuriam patitur, quamdiu scienter ita consentit. Exempla plura adhuc habentur l. Cum

Donationes. 34. C. de Transf. l. Venditor. 11. C. de Rescind. vendit. l. quamvis. 11. ff. de In jus vocand. l. In diem. 9. ff. de aqua plu. arcen. cum concord. apud Dynum hic n. 2.

Obijcitur tamen variè contra hanc Regulam, & 6 quidem imprimis c. Contingit. 36. de Senen. Excomm. Injunctio manuum in Clericum volentem, dum videlicet quis ipsum volentem percussit in satisfactionem præcedentis injuriæ, etsi non violenta, tamen injuriosa dicitur: ergo etiam volenti fit injuria. Resp. Injuriam in hoc casu non fieri Clerico, utpote consentienti, bebè verò toti statui clericali, in cujus favorem canon si quis suadente conditus est, cui per suum consensum clericus derogare non potest.

Urgebis. Clerici, qui non ex odio, invidia, vel indignatione, sed levitate jocofo se ad invicem percussurum, aut etiam in vitio discipulorum & correctionis, non incurrunt excommunicationem, neque censuram inferre injuriam statui clericali. c. r. de Sentent. Excomm. Ergo idem erit dicendum de casu in cit. c. Contingit. ubi Clericus volens percussus perhibetur causâ satisfactionis. Respondet Glossa in cit. c. Contingit. disparitatem esse, quia manus percussurum in c. contingit, fœvit, & causâ ulciscendi priorem injuriam percussibile videtur; non sic illi, qui joco.

Obijcitur ulterius: Qui virginem etiam consententem rapit, graviter punitur à Jure l. Raptores C. de Raptu Virg. ergo etiam scienti & consentienti videtur irrogari injuria. Resp. legem illam non obesse Regulae, partim quia prædicta lex in præsumptione fundatur, quâ ordinariè præsumitur, virginem si non vi, saltem dolò fuisse raptam, & hoc ipsò injuriam passam. Dynus hic nu. 3. & 4. quia qui dolosè decipitur, pro non volente habetur; cum dolosa persuasio plus sit, quam violenta coactio. l. 3. §. Si quis volentem ff. de homin. liber. exhib. Partim quia, si non ipsi virgini, saltem parentibus illius per raptum filie censetur irrogari injuria. Taccin. hic n. 9. Partim quia si sufficienter constat, virginem absque omni vi & dolo scienter ac liberè consentisse, verus raptus non est, & virgo hujusmodi non tam rapta, quam occultè fugitiva dicenda venit, siquæ Regula in suo valore procedit. Navar. lib. 5. Consl. 3. nu. 1. de Raptu. Sanch. lib. 7. de Matrim. disp. 12. n. 36. & alii. arg. c. Cum causam. 6. de Raptor. ubi Summarium sic habet: Raptus non dicitur, ubi volens pro matrimonio abducitur: prout etiam ibidem impedimentum exinde non inducitur.

Obijcitur adhuc l. Si Mulier. 21. §. 5. ff. quod metus caus. gest. ubi mulieri beneficiò restitutionis in integrum succurritur, etiam si sciens & consentiens adierit hæreditatem sibi nocivam: ergo scienti & consentienti fit injuria; aliàs enim si mulier hæc injuriam passa non fuisset, lex restitutionem in integrum non concessisset. Resp. dictam mulierem gravi metu adactam hæreditatem adisse, uti legenti textum patet. Et quamvis coacta voluntas adhuc sit voluntas; tamen, quia habuit jus, ne ad hæreditatis damnosæ additionem metu adigeretur, & violatione hujus sui juris injuriam passa est, æquitate suadente per dictum extraordinarium medium merito illi succurrebatur.

Obijcitur etiam l. Si quis servus. 20. C. de furti & 10 servo corrupti. ubi domino conceditur actio furti & servi corrupti contra illum, qui domini servo, uti aliquam domini sui rem furripere, & sibi afferret, persuasit, etsi servus ante ablationem rei iniquam suasionem sincerè manifestasset, & dominus in ablationem sciens consentiret. Resp. Actionem Domino fuisse concessam tum, quia dominus habuit jus ne servus suus iniquè corrumperetur, quo jure, quia se non ab-

dicavit, in eo injuriam passus: tum ad terrorem aliorum, ne servos alienos facile corrumpere; quia in delictis, quæ trahi possunt in exemplum, puniuntur factum, licet non sit perfectum, ut notat Rubr. in cit. l. si quis. & favent verba ultima ejusdem legis ibi: *Ne ex hujusmodi impunitate & in alium servum, qui facile possit corrumpi, hos facere pertinet.* Tum etiam, quia Dominus non in retentionem, sed ablationem duntaxat rei suæ consentit animo expediendi malitiam iniqui suatoris, ut scelere in effectum deducto eum actione furti, & corrupti servi securus conven. postea. Peck. hic num. 13. in fine.

11 Obijcitur denique exemplum Sanctorum Martyrum, qui scientes, & consentientes sustinuerunt martyrium, vitam, & membra perdidissent; & tamen facta est illis injuria: ergo etiam scienti & consentienti fieri potest injuria. Resp. Quamvis SS. Martyres amore Dei, & fidei Martyrium à Deo permissum, scienter, & libenter sustinuerint imo etiam desiderarint: tamen per hoc non consenserunt in tortorum iniquitatem, ac injustam actionem, quæ

membris & vitâ fuerunt privati, nec ullò modo renuntiârunt juri in vitam & membra, cum horum domini non fuerint; & hinc juri ad illa renuntiare non poterint. Sylvester. v. Consensus. numer. 2. Less. de Just. & Jur. lib. 2. cap. 7. numer. 14.

Queritur II. An, & quales Fallentias Regula XXVII. patiat? Respondet Fich. Tit. de Usur. num. 11. Eam fallere in cunctis iis, ubi aliunde adest prohibitio, præsertim Jure divino, ut sit in usuris utpote jure divino & naturali prohibitis, etsi mutuatarius in illas scienter consenserit; præcipuè cum hujus consensus sit etiam quodammodo coactus, eò quod mutuum, quò necessarîo indiget, obtinere non possit, nisi in usuras consentiat, prout lib. T. Tit. 19. nu. 85. & toto illo Titulo finitus diximus. Idem est de adulterio, quod, quia jure divino prohibitum est, consensus ad id ab uno conjugum da i nequit, & scienter ac liberè datus adulteros non excusat, quin coram Deo & mundo rei existantia poenitque à Jure humano in adulteros statutus subjaceant.

REGULA XXVIII.

Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Exorbitantia à Jure quid sit?
- 3 Aliud est exorbitans à Jure, aliud correctorium Juris.
- 4 Exorbitans à Jure in stricto & lato sensu sumitur.
- 5 Ponitur verus sensus Regulae.
- 6 Exorbitantia à Jure sunt odiosa, non possunt extendi ad casus & personas non expressas. ibid.
- 7 Etiam si sit eadem ratio.
- 8 Declaratur exemplis Juris, & tribus segg.
- 9 Attendendo Jus Civile, Pater potest occidere filiam in sua potestate adhuc constitutam, & adulterum in adulterio comprehensum.
- 10 Consuetudo non extenditur de loco ad locum.
- 11 In quibus Regula fallat, ita ut exorbitantia à Jure extendi possint ad casus & personas non expressas.
- 12 Necessario connexa se invicem includunt, etsi unius tantum fiat mentio.

illius dispositionem ex toto corrigit. Ex quo venit quòd exorbitantia à Jure communi, v. g. dispensationes, privilegia, consuetudines, statuta Juris communis dispositioni ex parte tantum contraria facultibus extendantur quam correctoria illius, seu eadem ex integro adversa, prout ex Farin jam notavimus lib. I. Tit. 2. de consuet. n. 423. arg. c. Auditis, juncti Glossa ibidem v. Minoris. de In integr. restit. & docet Taccin. hic.

Potèrò sunt alii, qui exorbitans à Jure in stricto sensu illud appellant, quòd Juri communi ita adversatur, ut non nisi difficillimè, & rarissimè concedi soleat: in lato sensu autem omne illud relictum, statutum, dispensatio, privilegium à Jure communi exorbitans est & dicitur, quòd eadem qualitercunque adversatur. Regula nostra tam de correctoriis Juris quam de exorbitantibus à Jure communi, & de his tam in stricto, quam lato sensu intelligenda est; cum omne correctorium Juris sit etiam exorbitans, seu devians ab illo, etsi in proprio sensu non omne exorbitans ab illo sit etiam correctorium ejusdem: licet aliquinter hos terminos non distinguant, sed utramque unò vocabulò exorbitantis à Jure expriment. His prænotatis.

Resp ad quæstionem 2 positam. Regula præfens juxta sequentem proprium illius sensum intelligenda est: *Quæcumque à Jure communi exorbitans, id est, legalis, alioque dispositiones, rescriptis, statutos, dispensationes, privilegia, consuetudines, quæ alicui dispositioni Juris communi ex parte vel ex toto adversantur, ad consequentiam, sive ad alios casus & personas non expressas, non sunt trahendæ, seu extendendæ.* Ratio est; quia odia restringi, & favores conveni ampliare juxta Reg. 15. de R. J. in 6. Ea autem, quæ à Jure communi exorbitant, juxta omnium DD. sententiam odiosa censentur & merito; hoc ipso enim, quòd Jus commune propter utilitatem publicam conditum, & ab omnibus receptum, indeque summe favorabile sit, quicquid ei adversum seu contrarium est, merito odiosum reputatur & per consequens ad consequentiam sive ad alios casus & personas non expressas nequaquam trahendum, seu extendendum est. arg. c. Sanè. 9. de Privileg. & c. is, qui, de filius Presbyt. in 6. ibi: *prætextu dispensationis (quam exorbitantem à Jure oportet*

Hæc Regula desumitur ex l. quod contra rationem. ff. de R. J. ibi: quod contra rationem Juris receptum est, non est producendum ad consequentiam. Concordat c. Is, qui de filius Presbyt. in 6. ibi: prætextu dispensationis hujusmodi (quam exorbitantem à Jure oportet vel odiosam restringi) &c. & alia Jura per Gloss. citata hic.

2 Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante responsum prænotandum venit, exorbitare ut sic idem esse, ac ab orbita, seu via communi deflectere & deviare. Gloss. & Dynus hic: quod Sacra Scriptura ad dextram vel sinistram declinare vocat. Hinc ad propositum exorbitantia à Jure sunt, & dicuntur, quæ à communi Jure, seu à via Juris communis deflectunt, seu Juri communi adversantur, & contraria sunt.

3 Ulterius notandum, in proprio sensu aliud esse exorbitans à Jure, aliud correctorium Juri. Exorbitans à Jure est, quod dispositioni Juris communis ex parte duntaxat, & non ex toto adversatur, & contrarium exitit: Correctorium verò Juri est, quod Reiffenstuel Jus Can. Tom. VI.

velut odiosam restringi &c. Hinc c. Cum expediat. de Elect. in 6 universaliter sancitum habetur, ut omnis correctio Jurium, quatenus fieri potest, sit evitanda.

6 Et procedit Regula, etiam in alio simili casu, vel persona videatur eadem vel major ratio: nisi haec in exorb tante dispositione sit expressa juxta dicta ad Regulam 17. vel extensio ad similia expressè concessa. Strein hic n. 2. exemplificans id in Principe, cui ex necessitate fuit concessum in certo loco nominare Praelatum; is enim in alio loco aliqueum nominare non valet, etsi in tali loco eadem sit necessitas.

7 Declaratur Regula & confirmatur Exemplis ex Jure deductis: Sic enim etsi laicis Juris spiritualis alias incapax sit Jure concedatur jus presentandi ad Ecclesias & Beneficia ab illis fundata, uti constat ex Tit. de Jure Patronatus, tamen haec Juris dispositio trahi & extendi non potest ad liberam collationem, electionem, vel causarum Jurispatronatus judicialem cognitionem. c. Sacrosancta. c. Messana. de Elect. & c. quanto. de Judiciis.

8 Sic pariter licet Anglis ex eo, ut ad fidem recenter conversi in ea firmis maneat, dispensativè concessum fuerit cum conjugueis matrimonium: tamen haec concessio, utpote à Jure communi exorbitans, ad alias gentes recenter convertas trahi & extendi non potuit. can. quaedam lex. 20. §. quod scripsi. cau. 35. q. 3. & ibi Glossa communiter recepta.

9 Sic ulterius si alicui illegitimè nato per dispensationem papalem generaliter, & sine cura mentione conceditur accipere beneficium, non potest conferri curatum, c. Is. cui. de Praeb. & Dignit. in 6 nec potest dispensatio extendi ad plura beneficia. arg. c. fin. de filiis Presby. in 6. Gloss. in c. 1. Eod. quia utraque haec dispensatio à Jure exorbitans, sicut odiosa est, consequenter extendi non debet.

10 Similiter etsi l. Patri. 20. ff. ad Leg. Jul. de adult. concedatur, quod pater filiam sub potestate sua adhuc constitutam unum cum adultero occidere possit, tamen haec potestas, utpote à Jure communi alias exorbitans, sicut odiosa ad alios conjugueis talis filiae, vel ad filium familias patrem, extendi non potest. arg. cit. l. Patri. Fachin. lib. 7. cap. 28. Strein hic num. 1. Et sic intellige de aliis hujusmodi concessionibus, dispensationibus à Ju-

re communi exorbitantibus, seu deviantibus, utpote quae tanquam odiosae ad alios casus & personas etiam ob similitudinem, paritatem, identitatem rationis trahi aut extendi non possunt.

Nec obijciat cum Decio Consi. 384. quod consuetudo civitatis Episcopalis ad oppida & pagos ejusdem Dioecesis, imò etiam ad vicina loca dioecesis extendatur arg. c. Ex parte. de Censib. & Exalt. Resp. enim, id vi dicti capituli fieri ex praesumptione, quod etiam in aliis hujusmodi locis consuetudo vigeat: qua praesumptione non data certum est, quod consuetudo à Jure exorbitans, seu eidem adversa ab una dioecesi ad aliam, vel de loco ad alium locum non extendatur, uti fuisè dictum ad probatum habetur lib. 1. tit. 4. de consuet. à num. 1. &c.

Queritur II. An, & quae Fallentia Reg. 12 XXVIII. patiantur? Resp. Eam habere omnes illas fallentias, quas adduximus supra in Regula XV. à num. 20. usque ad num. 24. inclusive. Et quidem eas breviter recapitulando Fallit 1. quando agitur de favore utilitatis publicae juxta dicta ad cit. Reg. XV. num. 20. 2. In concessionibus, dispositionibus, rescriptis, privilegiis pro favore Cultus divini, fidei, religionis, salutis animarum, juxta dicta ibidem num. 2. 3. fallit, quando dispositio, dispensatio, rescriptum, privilegium datum est motu proprio, juxta dicta ibi num. 22. 4. fallit, ubi est eadem ratio in lege expressa juxta num. 23. 5. fallit, quando extensio requiritur ad evitandum absurdum, juxta dicta ibidem num. 24.

Fallit 6. In necessariò connexis, & nisi extensio fieret concessionis à Jure exorbitantis, aliis esset inutilis & careret effectu: necessari enim connexa comprehendit & includi censentur in concessio uno, etsi non fiat expressa mentio alterius. arg. c. Praeterea. §. de Offic. & potest. Jud. deleg. Exemplum habes: quod minor 25. annis dispensatus ad beneficium parochiae, vel aliud curatum, censetur etiam dispensatus ad susceptionem Sacerdotii intra annum, etiam si de ea nulla fiat mentio, quia est necessario connexa; eòdem beneficium curatum ultra annum nec administrari, nec retineri valeat sine ordine Sacerdotali, & aliis dispensatio careret effectu, & foret inutilis contra mentem Papae dispensantis, uti cum a iis bene advertit Abbas in c. Nonnulli. 28. de Rescrip.

REGULA XXIX.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Ratio difficultatis in Regula.
- 3 Aliud est: tangere omnes, vel plures ut singulos.
- 4 Aliud: tangere omnes, vel plures ut universos vel collegialiter sumptos.
- 5 Regula intelligenda est de eo, quod omnes ut singulos tangit.
- 6 Ponitur verus sensus illius, ibid.
- 7 Declaratur exemplis Juris: & duobus seqq.
- 8 Electio unice vocali praed. seu non citato est nulla.
- 9 Ad compromissum requiritur omnium consensus.
- 10 Majora valent, quando res omnes ut universos vel collegialiter tangit.
- 11 Intelligit tamen in necessariò, non autem voluntariè agendis.
- 12 Ac nisi pars minor, vel unicus rationaliter contradicat.

- 12 Fallit Regula in favore liberationis à debitis.
- 13 In Arbitris pro dividenda lite.
- 14 Item in comparationis Juris patronatus.
- 15 Et, si Fiscus concurrat cum privatis.

Regula haec desumitur ex l. fin. C. de Authorit. praest. ibi: Etenim necesse est, singulos pro suis partibus, vel regionibus authoritatem pupillo praestare. Concordant l. Per fundum. ff. de servit. Rust. & alia Jura per Gloss. citata hic.

Queritur I. Quomodo haec Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante responsum notandum, non minus difficilem, quam celebrem esse hanc Regulam; quamvis enim DD. communiter, imò teste Bar. hic nu. 2. omnes dicant, Regulam esse sic intelligendam, quod omnes ut singulos tangit, non autem, quod omnes ut collegium aut communitatem, seu collegialiter & in communi tangit, ab omnibus esse approbandum: Tamen difficultas non levis remanet, quandonam aliquid plures aut omnes

omnes ut singulos, & quando illos ut collegium vel communitatem tangere dicatur. Pro cuius intelligentia

Uterius notandum, Illud aliquem vel aliquos tangere dici, quod ad eum, vel illos aliquò modò pertinet, vel eis de Jure competit, ita ut ex illius ablatione, diminutione, violatione gravamen & praedjudicium patiantur. Porro potest aliquid plures, seu omnes vel ut singulos, seu singillatim & distributivè sumptos: vel omnes ut universos, seu collectivè & collegialiter sumptos, ac prout unum corpus efficiunt, tangere, five eis de Jure competere & ad eos pertinere. Plures vel omnes ut singulos aliquid tangere, eis competere, & ad eos pertinere dicitur, quando quis in specie ac in individuo in illo jus habet, sicut de jure & praedjudicio cuiusvis in specie, directè, & ut loquitur Barbosa hic n. 3. principaliter agitur: ut si plures in eundem fundum jure & dominio gaudent, non potest tali fundo sine omnium approbatione & consensu servitus imponi; quia omnes ut singulos, seu quemvis in specie tangit, & de illius praedjudicio directè ac principaliter agitur. arg. cit. l. fin. C. de auct. praest. cum Concordant

Plures vel omnes ut universos, vel collectivè, collegialiter, & in communi sumptos, ac prout unum corpus, collegium, vel communitatem constituunt, aliquid tangere, eis jus competere, & ad eos pertinere dicitur, quando illud non ad quemvis in specie aut individuo, sed ad totum collegium, communitatem, Monasterium, Capitulum &c. pertinet, uti sunt fundi, praedia, aliaque Jura ad totam communitatem pertinentia in quorum proin alienatione, vel violatione non de singulari, vel cujuslibet in specie aut individuo, sed de totius communitatis, collegii, corporis mystici Jure ac praedjudicio directè, primario, ac principaliter agitur, quamvis indirectè, secundario, ac minus principaliter etiam singulos tangat, hoc ipsò, quod talis communitatis sunt membra: in quo sensu juxta iam dicta, & adhuc magis dicenda non omnium, sed majoris duntaxat partis consensus, & approbatio requiritur. arg. l. 1. §. Demumtari. ff. de ventr. inspicand. cum concord. His praenotatis

Resp. ad questionem n. 2. postam: Regula praesens intelligenda venit de eo duntaxat, quod omnes ut singulos: non autem de eo, quod omnes simul, vel collectivè, seu collegialiter sumptos tangit, modò n. 2. & 3. explicatò; ut proin proprius illius sensus sit sequens: Quod plures ut singulos tangit, id est, ad eos pertinet, eisque ut singulos de Jure competit, ita, ut agendo de illo, de jure & praedjudicio cuiuslibet in specie ac individuo directè, primario, ac quasi principaliter agatur, ab omnibus unanimiter approbati debet, ita ut unico dissentiente, contradicente, spediò aut neglectò tota actio sit nulla & invalida. Ratio Regulae est; quia nullus invidus Jure suo spoliandus est, Nec debet alteri per alterum iniqua conditio inferri l. Non debet. 74. ff. de R. J. Et Id., quod nostrum est, sine factò (seu consensu) nostro ad alium transferri (vel auferri) non potest. l. Id. quod. 11. ff. de R. J. Hinc dum l. In concedendo ff. de aqua pluv. arc. deciditur, ut in concedendo jure aquae ducendae accedat consensus omnium, qui in res habent, subiungitur: Nec immeritò, cum enim minuat res eorum, consequens fuit, exquiri, an consentiant.

Declaratur & firmatur Regula, ejusque sensus variis exemplis Juris per Dvnum hic, & alios adductis: Sic enim inprimis si plures fundum aliqueum in communi habent, non possunt in eo servitutem constittere, nisi interveniat unanimis omnium consensus, ita, ut unico dissentiente constitutio sit nulla, text. claro l. per Fundum 11. ff. de servit. Praed. Rust.

& l. Receptum ff. Commun. praedia, quia fundus tangit omnes ut singulos, & de jure ac praedjudicio cuiusvis in specie directè agitur. Idem est in casu, quò novus aquae ductus concedendus est; omnes enim & singuli, qui prius jus ad aquam jam habebant, consentire debent. arg. cit. l. In concedendo. ff. de aqua pluv. arc. per rationem ex illa desumptam & n. praeced. jam postam: Sic etiam, si plures servum propriè talem in communi habent, omnium consensus requiritur, ut Sacros Ordines suscipere valeat, quia omnes tangit, id est, ad omnes pertinet, & de cuiusvis jure, & praedjudicio agitur, hoc ipsò quòd quis per ordines suo ad servum habito jure privetur, sacris initiatus servus amplius esse non possit, sed homo liber evadat, can. 2. dist. 54.

Sic rursus omnes tam Regularis, quam saecularis status vocales, qui debent & volunt, ac commodè possunt interesse, ad electionem Praelati citari & admitti debent c. quia propter. de Elect. cum concord. ita ut si unicus contemptus id eis legitime non citatus, vel legitime excusatus esset, Electionem invalidam reddere possent. Quod sicut 28. de Elect. quia quisvis in specie jus eligendi habet, quo invitus privari nequit, prout amplius diximus Lib. 1. Tit. 6. de Elect. n. 117.

Sic ulterius ut electio per compromissum fieri queat, unanimis omnium Vocalium consensus necessariò requiritur. adeò ut unus dissensus compromissum impediat, & nihilominus electionem per compromissum factam invalidam reddat, uti Gloss. in c. Quia propter. v. Vice omnium communiter recepta bene docet arg. cit. c. Quia propter. de Elect. & amplius dictum habetur cit. Lib. 1. Tit. 6. de Elect. num. 71. quia causa compromissi omnes ut singulos tangit, cum alioquin invitus privaretur voce sua activa.

Objici solent contra hanc Regulam satis clari textus Juris utriusque, Canonici quidem ex c. 1. De his, quae sunt à Major. par. capit. ubi universaliter disponitur; nisi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit, & offensum, praevalere semper. quod à majori & saniore parte Capituli fuerit constitutum. Ex Jure Civili autem l. quod major. 19. ff. ad municipalem ibi: Quod major pars Curiae efficit, pro eo habetur, ac si omnes egerint. Sed Resp. hos & similes universales Juris textus de iis materiis & causis intelligendos esse, quae vel non omnes ut singulos in specie, sed omnes ut universos, seu collectivè sumptos, sive totum collegium tangunt juxta sensum supra n. 4. allegatum: vel non ipsa collegii aut curiae membra, sed tertium aliqueum respiciunt.

Quamvis caeteroquin etiam praefati textus (praesertim verò ex c. Quia propter. desumptus) non semper, sed tunc tantum verificentur, quando aliqua faciendae sunt ex necessitate, utia ienationes, electiones, & hujusmodi: non autem in iis, quae ex mera voluntate fiunt; tunc enim major pars non sufficit, sed omnes & quidem collegialiter consentire debent, prout bene observat & probat Gloss. in c. Cum omnes de Constitut. v. constit. ac etiam ad hanc Regulam: ubi plura de hoc.

Et nos quoque Lib. III. Tit. 11. De his, quae sunt à majori parte Capit. à nu. 24. plures adduximus casus, etiam tales, qui omnes collectivè sumptos, seu totum collegium & communitatem tangunt, in quibus non sufficit major pars, quin minor pars contradicere, & intentum majoris partis ex rationabili causa impedire valeat cit. c. 1. De his, quae sunt à major. ibi: nisi à paucioribus aliquid rationabiliter fuerit objectum & offensum: ubi etiam addidimus, unicum caeteris omnibus efficaciter contradicere posse, tunc nempe, quando reliqui in manifestum

dammum Collegii, Communitatis aut Ecclesie decernunt, ubi vide.

Queritur II. An, & quas Fallentias patitur Regula XXIX? Resp. Eam fallere in pluribus, veluti Primo in favore liberationis a debitis. l. Majoram ff. de Pactis. ubi habetur, si heredes pacifcantur cum creditoribus, quota parte debiti, velint esse contenti, Prator sequetur majoris partis voluntatem: ubi Rubrica sic habet. Hodie in iis, que sunt communia pluribus, ut singulis, quod fit a majore parte, prajudicat aliis favore liberationis.

Fallit secundò in arbitris favore litium dirimendarum; nam arbitris, qui communi partium consensu in dispari numero sunt assumpti, discordantibus, statuer sententia majoris partis, etiam si plures ut singulos tangat. arg. c. can. Sanè I. de Arbitris.

Fallit tertio in casu, quò pluribus Patronis competit Jus patronatus; nam iis discordantibus valet presentatio persone idonee facta a majore parte, textu expreso c. Quoniam. 2. de Jure Patron. idque favore Ecclesie & animarum, quibus longior beneficium vacatio damnofa videtur & periculosa. arg. c. Ne pro defectu. 41. de Elect.

Fallit quartò, Si Princeps, vel fiscus illius rem aliquam cum aliis communem habet; quia potest ille, etiam his invitis, rem totam vendere, red-dita tamen parte pretii alii competente. l. Mul-tum. 2. C. de Commun. verum alienat. quia fideus in hoc specialiter privilegiatus independenter ab aliis agit, nec in effectu illis prajudicat, cum pierum-que commodius sit & utilius, rem totam quam partem illius distringere. arg. l. Mævius. 52. ff. Familie Erciscunde.

REGULA XXX.

In obscuris minimum est sequendum.

SUMMARIUM.

- 1 Regula à quo desumpta?
- 2 Obscurum quid sit? & Minimum quid dicatur?
- 3 Regula non procedit, nisi prius circumstantia de veritate rei pendendantur: Hinc Regula hæc subsidiaria dicitur. Ibid.
- 4 Ponitur verus sensus Regule.
- 5 Regula amplè extenditur.
- 6 Procedit enim in Legibus:
- 7 In contractibus & promissionibus:
- 8 In Testamentis & legatis:
- 9 In peccatis & delictis.
- 10 Satis est impunitum relinquere facinus nocentis, quam innocentem damnari. Ibid.
- 11 Procedit insuper in penis:
- 12 In Votis.
- 13 In pari causa melior est conditio possidentis. Ibid.
- 14 Et sententis.
- 15 Solvitur objectio.
- 16 Pars indistinctè nominata significat dimidium. Ibid.
- 17 In obscuris & Jure sequi debet minimum.
- 18 Quivis consuetur habere animum agendi, quod agit.
- 19 Fallit Regula in speciebus & artefactis:
- 20 Nisi sub specie duo tantum adsint individua.
- 21 In genere propriè tali non fallit.
- 22 In Homicidio, à pluribus commissio, fallit. Delicta non deberent manere impunita. Ibid.

Hæc Regula desumitur ex l. Semper in obscuris. 9. ff. de R. F. ibi: Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur, concordat l. Semper in stipulationibus 34. ff. de Reg. Jur.

Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Obscu-rum in hac Regula sumitur pro eo, in quo rei veritas, & intentio disponentis, etiam consideratis considerandis circumstantiis nec verisimiliter satis apparet. Per minimum verò illud intelligitur, quod minus obligat, vel minus gravat.

Dicitur autem notanter etiam consideratis considerandis circumstantiis; enimverò hæc Regula non ita nudè intelligenda venit, quòd in quovis obscuro statim, ac sine ulla consideratione minimum sit eligendum: sed prius videndum est, an non rei veritas, & vera disponentis intentio ex more Regionis, ex ratione, vel sine, vel ex alia lege, ex antecedentibus aut subsequen-tibus verbis, vel ex aliis

circumstantiis saltem verisimiliter erui valeat, prout benè observat Gloss. & clarè desumitur ex c. l. 34. ff. de Reg. Jur. ibi: Semper in stipulationibus, & in ceteris contractibus id sequimur, quod alium est, aut si non appareat, quod alium est, erit consequens, ut id sequamur, quod in Regione, in qua alium est, frequentatur. Quid ergo, si neque Regionis mos appareat, quia varius fuit, ad id, quod minimum est, redigenda summa est. Concordat Regula 45. Juris in 6. Inspecimus in obscuris, quod verisimilius est, vel quod plerumque fieri consuevit. & l. Nummis. 75. ff. de Legatis. III. ibi: Si neque ex consuetudine Patris familias, neque ex Regionis, unde fuit, neque ex contextu testamenti possit apparere. Hinc Regula hæc communiter vocatur subsidiaria, id est, in sub-dium, casu quo aliunde de veritate satis non constat.

Resp. II. Verus sensus Regule hic est: Quando in lege, statuto, aut alia dispositione sensus ita obscurus est, ut neque ex natura actus, neque ex antecedente aut subsequente tenore verborum, neque ex consuetudine loci, nec ex aliis circumstantiis vera legis-latoris, vel aliter disponentis voluntas ac intentio, saltem verisimiliter satis appareat, id, quod minimum, hoc est, quod minus obligat, vel gravat, sentire debe-mus. Per Jura citata: Ratio est; Tum quia Jura proniora sunt ad liberandum, quam obligandum, magisque inclinant ad minuendum, quam augen-dam obligationem, arg. l. Arianus. ff. de Obligat. & Act. Tum quia sequendo minimum minus errandi periculum est; hoc ipso, quòd in majori, vel maximo etiam minus vel minimum includatur, juxta Reg. 35. Jur. in 6. Plus semper in se continet, quod est minus: consequenter si disponentes forsitan de maximo intentionem habuit, etiam minimum inclu-sum existit, non sic è converso.

Porrò hæc Regula sat amplè extenditur; procedit enim non tantum in legibus & statutis, sed etiam in contractibus, & voluntariis promissionibus: in testamentis & ultimis voluntatibus: in peccatis & delictis: in penis, & in sententis. Dynus hic cum communi aliorum, patetque adducendo de singulis exempla Juris.

Et quidem in primis de Legibus & statutis; hæc enim quando obscura sunt, & verè, aut verisimilior intentio legislatoris non apparet, mitiorem, minuf-que obligantem, vel gravantem præ dñiori interpre-tationem sequi licet. Strein hic n. 2. Taccinus n. 3. arg. l. Arianus. 47. ff. de oblig. & Act. ibi: Ubi de obli-gando queritur, propensiores esse debere nos, si habeamus occasionem, ad negandum: ubi de liberando: facilius sit ad liberationem.

Regula XXX. In obscuris minimum est sequendum. 35

Secundò de Contractibus & voluntariis promissionibus; nam qui vendit servum, dicens, illum esse pecularem, sufficit, si quis minimum habeat peculium textu claro l. Si quis venditor. 18. §. ult. ff. de A. liti. Edict. ibi: Si quis simpliciter dixerit, peculiatum esse servum, sufficit, si is vel minimum habeat peculium. Dynus hic n. 3. Strein. n. 2. Taccin. n. 3. Sic quicquid certam menturam tritici promittit, viliores speciem dando satisfacit, textu claro l. fideiussorem. 52. ff. Mandati. ibi: Si sine adjectione bonitatis tritici pro altero tritico spondat, quodlibet triticum dando reum liberare posse existimo. Ratio est; quia in hoc obscuro vilior species promittentem minus gravat. Sic ulterius qui numero decem Canonicis Ecclesie A. promittit singulis annis dare viginti aureos, ita, ut quilibet habeat duos, auctò postea Canonicorum numero, non tenetur superaddere, ut, qui recesserint, tantumdem accipiant. Strein hic n. 2. Pech. n. 3. quia in hoc obscuro, ita dando, minus gravatur promittens.

Tertio in Testamentis, legatis, & aliis ultimis voluntatibus; si enim alicui indistinctè legatur pecunia hæredes satisfaciant, si minimum quantita-tem legatario dant. arg. l. Si ita relicum. 42. ff. de Legat. II. & l. Nummis. 75. ff. de Legat. III. ibi: Nummis indistinctè relictis, hoc receptum est, ut exiguos relicti videantur: quia in hoc obscuro mini-mum, seu minus gravans hæredes sequi licet. Sic ulterius si alicui legatur tanta pars, quantum unus hæres accipit, & partes hæredum sunt inæqua-les, non nisi illa pars debetur legatario, quæ inter hæredes est minima. Dynus hic num. 2. textu claro cit. l. si ita relicum. 42. ff. de Legat. II. ibi: Si ita relicum &c. quantum unus hæres habeat, tantum Titius hæres debet dare volo, minor pars erit accipienda. Ratio est, quæ supra.

Quarto in peccatis & delictis: si enim non satis constat, sed dubium & suspicio duntaxat est de crimine commissio, minimum sequi, & reum ab-solvere oportet. Dynus hic n. 17. textu claro l. Absentem. pr. ff. de Penis. ibi: Sed nec de suspicionibus debere aliquem damnari, Divus Traianus rescriptis; factis enim est: impunitum relinquere facinus nocentis, quam innocentem damnari. Quod si de delicto constat quidem, obscurum tamen & dubium maneat de qualitate delicti, an v. g. vi armata, an sine armis contigerit, minimum, id est, minorem in-ducens pœnam, sique sine armis commissum fuisse præsumendum est. Dynus loc. cit. l. Si Preses. 32. ff. de Penis junctà l. Hæc enim causa. §. Quid ergo. ff. de suspens. Tut.

Quinto in penis, prout omnes docent, ob currentes alias Regulas Juris claras; nam juxta Regu-lam 49. Jur. in 6. In penis benignior est interpretatio faciendâ. & Reg. 155. §. fin. de Reg. Jur. ibi: In penalibus causis benignius interpretandum est, junctà l. Interpretatione 42. ff. de Penis. ibi: Interpretatio-nem legum pœne molliendâ sunt positus, quam exspe-randa.

Sextò in Votis: qui enim dubitat, utrum verè voverit, ad votum non tenetur, prout communi-ter tenent DD. tum ex hac Regula, tum ex Regu-la 65. in 6. In pari causa potior est conditio possi-dentis: taliter autem dubitans est in possessione suæ libertatis. Quòd si certus de voto, dubius manet cir-ca qualitatem, quantitatem, pondus numerum, vel mensuram, minimum, id est, minus gravans sequi potest, nisi ex circumstantiis aliud prudenter desu-matur per Jura citata, junctò c. Ex parte. 18. de cen-sibus. Sicut enim in hoc, ita & in aliis allatis Juris exemplis attendenda est clausula num. 3. adducta, si consideratis considerandis: circumstantiis aliud veri-similiter non appareat.

Septimò in sententiis: siquidem si ex tribus judi-cibus vel arbitris unus ad quindecim, secundus ad decem, tertius ad quinque reum condemnit, mini-mum, quinque nempe, utpote minus gravans, se-qui oportet textu claro l. Diem proferre. 27. §. Si plures. ff. de Receptis qui arbitrium. ibi: Si ex tribus arbitris unus quindecim, alius decem, tertius quinque condemnet, Julianus scribit, quinque debere presta-ri, quia in hanc summam omnes consenserunt. Secus foret, si duo Judices similiter condemnassent ad majus, v. g. ad quindecim, & tertius ad dena; quia in tali casu res non amplius obscura, sed certa apparet, reum teneri ad quindecim ob clara Jura disponentia, majorem partem Judicum idem sententium prævalere cit. l. Diem. §. 3. ibi: Si major pars consensit, et statuit: quod utrumque clarè decet-ditur c. 1. de arbitris in 6. ibi: Si ex tribus arbitris te duo in decem, & tertius in quinque condemnet, debet sententia prævalere duorum: licet cum unus in quindecim, alius in decem, tertius vero in quinque pronuntiant, in illis, qui dixi de Summa minoris (cum in illa omnes concordè existant) sententia effi-cax censetur.

Obijciatur autem contra Regulam & sensum ejus Primò l. Etiam. 42. ff. de Usufructu, & quemadmodum, ubi expresse habetur, quòd si pars legetur si-ne determinatione quotæ, dimidia pars totius lega-ta censetur; ibi: Si non sit specialiter facta parti-mentio, dimidia pars bonorum continetur. ergo in obscuris legatis minimum sequi non licet. Resp. hunc casum non versari in obscuro, quia clara lege decifum habemus, quòd, si quota non determi-netur, nomine partis dimidium intelligatur. l. No-men. 164. §. 1. de V. R. ibi: Si non fuerit portio ad-jecta, dimidia pars debetur.

Obijciatur secundò l. Voluntatis. 7. c. de Fideicom-missis. ubi dicitur: Voluntatis defuncti questio in esti-matione Judicis est. Resp. id quidem verum esse, ita tamen, ut si consideratis considerandis certum vel verisimiliter non appareat, & ipse de minimo judicare debeat per Jura hæcenus allegata.

Obijciatur tertio l. c. Ad legem Cornel. de Sicar. 15 ex qua colligitur, quòd si constat aliquem à Mævio fuisse occisum, is teneatur de homicidio, etiam non constat de animo occidendi, nisi Mævius hunc abfuisse, & homicidium casu contigisse probet; ergo in delictis non licet sequi minimum. Resp. hæc in obscuro, sed in claro versatur: cum in dubio quisvis censetur id agere voluisse, & agendi ani-mum habuisse, quod egit, nisi aliud probetur, & ani-mus ordinariè sit talis, qualem facta demonstrant. arg. cit. l. 1. & c. Dilecti. 52. de Appellat.

Queritur II. An, & quales Fallentias patiatur hæc Regula? Resp. cum Gloss. & Dyno hic. n. 7. quòd etfi Regula in quantitate & numero &c. procedat, tamen generaliter fallat in speciebus (subau-di in sensu juridico acceptis juxta dicenda infra) & iis, quæ æquipollent speciebus, uti sunt artefacta, circa hæc enim in obscuris non minimum, sed ne-diocre est præstandum. l. legato generaliter. 37. ff. de Legat. I. ibi: Legato generaliter relicto, veluti hominis Gaius Cassius scribit, id esse observandum, ne optimus vel pessimus accipiat. & l. Qui lancem 31. ff. de Au-ro & argent. legat. ubi disponitur, quòd relinquens tres lanceas unam ex illis legat, mediæ magnitudi-nis lanceam legasse censendus sit, junctà l. Si quis ar-gentum. 35. §. 1. C. de Donat. ubi habetur, quòd si quis certum redditum ex suis possessionibus donet, non exprimeudo earum nomina, tunc tenetur dare ex a-gris, qui nec omnibus, quos habet in possessione, ante-ponitur, nec deteriores omnibus sunt, sed statim mediocres inveniuntur.

Quod

17 Quod si verò ex legata vel donata specie duo tantum individua adfint, v. g. duo tantum equi, vel boves, vel fundi, vel servi, unus melior, alter deterior, in salvo manet Regula, In obscuris minimum est sequendum; indeque non nisi ad deterius dandum obligatur inducitur. Dynus hic nu. 8. & 9. arg. l. cum servus. 39. §. 6. ff. de Legat. I. & l. si ita velicium 43. §. fin ff. de Legat. II.

18 Porro plures Doctores cum Dyno hic n. 7. asserunt. Regulam non tantum in speciebus, sed etiam in generibus fallere; Notandum tamen eos loqui de genere & specie non in philosophico, sed in juridico sensu acceptis; in quo ultimo sensu etiam individua & alia singularia vocantur species: e contra veræ species philosophicæ habentes sub se plura individua; uti homo, leo, asinus &c. apud Ju-

risas vocantur genus, prout magis dicitur infra explicando Regulam 34. Generi per speciem derogatur. Dynus l. c. cum aliis. arg. l. ha stipulatus. 115. §. de V. O.

Ceterum Fallit Regula secundum in casu, quo homicidium à pluribus committitur, & nascitur: sed obscurum manet, quis eorum vulnus lethale inflixerit: tunc enim non minimum de puniendo uno vel nullo sed maximum, videlicet ut omnes tanquam homicidæ puniantur, eligendum statuitur. l. Item Mala. 11. §. 2. ff. ad l. Aquil. Et merito; cum enim omnes in actu homicidii deprehensi culpabiles existant, omnes jure merito pœnæ subjacent, ne cum gravi damno reipublicæ delicta maneat impunita contra l. Ita vulneratus. 51. §. 2. ff. ad Leg. Aquil. ibi: cum neque impunita maleficia esse oporteat. Dynus hic. num. 19.

REGULA XXXI.

Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Certus quis dicitur? tribus modis certus fieri potest.
- 3 Quid sit certiorari?
- 4 Ponitur versus sensus Regula.
- 5 Natura & Jura nil faciunt frustra. Ibid.
- 6 Declaratur Regula exemplis Juris. & duob. seqq.
- 7 Venditor servitium fundi insinuare non tenetur, quam emptor jam scit. Ibid.
- 8 Nec vitium mancipii, vel alterius jam notum. Ibid.
- 9 Nemo tenetur alium de claris Juribus certiozem reddere.
- 10 Dies interpellat pro homine. Ibid.
- 11 Iter ad Curiam Romanam in causa litigiosa arripere equivaleat Appellationi.
- 12 Fallit Regula, quando ulterior certioratio requiritur ad substantiam actus:
- 13 Ut ad declarandum contumacem:
- 14 Et ad privationem privilegii Clericalis:
- 15 Nec non ad ferendam Excommunicationem majorem.
- 16 Testes in Testamento non valent, nisi sint rogati.
- 17 Judex non nisi imploratus, & judicialiter informatus in causa procedere potest.
- 18 Venditor non tenetur ad evictionem, nisi fuerit ab emptore laudatus.
- 19 Clerici concubinarij ut penas incurrant, prius debent moneri: & quomodo?
- 20 Concilii Tridentini textus ad propositum. Ibid.
- 21 De panis Clericorum lascivæ viventium remissione.
- 22 Quid ulterior certificatio sit de substantia actus, non praesuntur, sed probari debet: bene verò praesumitur ignorantia, nisi scientia probetur.

18 Hæc Regula juxta Glossam hic desumitur ex l. i. ff. de Actionibus empti & venditi. uti habetur: quia non videtur esse celatus, qui scit, nec certiorari debuit, qui non ignoravit.

19 Quæritur I. Quomodo Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Certus per Regulam præsentem intelligitur ille, qui non qualemcumque, sed indubitatam notitiam, seu scientiam rei, vel negotii alicujus habet; quæ notitia vel certitudo triplici modo haberi potest: vel physice, ac naturaliter per quinque sensus, visum præsertim & auditum, ut si quis instrumentum authenticum rem continens ipsemet vidit & legit, vel quid aliud in

quæstione versari propriis oculis cognovit, vel auribus audivit, v. g. promulgationem legis præsens auribus percepit: vel moraliter, quæ notitia provenit ex motivis adeo vehementibus, ut nullus prudens dubitandi reliquatur locus: cujusmodi certitudo ex relatione virorum omni exceptione majorum, fidèque dignorum habetur: vel ex dispositione legis naturalis, quæ cunctis nota esse debet, vel humane clarè ac certè ritèque promulgatæ, Tacin. hic. n. 1. Peck. n. 1. cum aliis. arg. l. Magnam. 12. C. de contrah. & committend. stipul.

Per certiorari intelligit Regula particularem aliquam judicalem, vel aliam denuntiationem, insinuationem, aut notificationem, vultque dicere, quòd, qui aliquò ex præfatis modis de re quadam certus est, seu sufficientem notitiam jam habet, vel saltem habere debet, ei ulteriorem aliquam insinuationem, vel denuntiationem facere ad hoc, ut notitiam acquirat, non sit necesse. Hinc

Resp. II. Versus sensus hic est: De Jure non est necessarium, ut alicui, qui sufficientem notitiam vel scientiam de re, vel negotio aliquo jam habet, vel saltem habere debet, pro acquirenda ejusdem rei, vel negotii notitia, adhuc ulterior aliqua fiat denuntiatio, insinuatio, vel notificatio. Rationem dat Vivianus hic: quia denuntiatio alicui regulariter ideò fit, ut notitiam acquirat de re aliqua l. Item veniunt. 20. §. 11. ff. de Hered. petit. Ergo si is sufficientem notitiam jam habet, frustra nea & superflua est ulterior notificatio talis rei: sic ut autem natura sic etiam leges & Jura nil frustra, aut superfluum faciunt vel exigunt. can. 1. dist. 19. cum concord.

Declaratur Regula & sensus illius exemplis Juris: Sic enim licet vendens fundum, vel domum aliquam servitute affectam, teneatur emptorem de servitute certiozem reddere; cum id omittens teneatur actione empti ad interesse emptoris: tamen hujusmodi servitute insinuare non obligatur, si emptor prius jam scit fundam servitute esse subiectam textu claro l. 1. §. 1. ff. de Action. empti. ibi: Venditor si, cum sciret deberi servitute, celavit, non evadit exempto actionem; si modò eam rem emptor ignoravit, quia ut §. fin. ibidem additur, non videtur esse celatus, qui scit, neque certiorari debuit, qui non ignoravit. Sic etiam licet quis mancipium vel aliam rem, v. g. equum vitiosum, scabiosum vendens debeat emptorem certiozem reddere de moribus & vitis mancipii vel morbo aut gravi defectu equi; cum alias teneatur actione redditionis, vel quantò minoris: tamen hoc defectus emptori noti-

fica.

Regula XXXI. Eum, qui certus est, &c.

ficare non debet, quando is horum prius jam sufficienter conficius est. l. 1. ff. de Reali. Edict.

6 Sic universaliter nemo tenetur adversarium suum de claro Jure aut lege certiozem reddere, quia hanc quemvis scire præsumitur, cum scire debeat, indeque ignorantia hujusmodi juris ipsum non excuset juxta Regulam 13. Jur. in 6. Ignorantia facti, non Juris excusat: & dicta ibidem. Prout etiam necesse non est, aliquem monere, vel certiozem reddere de die solationis, ubi is in contractu est appositus; quia debitor in tali causa præsumitur jam certus, cum dies ipsa interpellat pro homine l. M. quam. 12. C. de contrahend. stipulat. cum concord.

7 Sic ulterius in specie arripens in causa litigiosa iter ad Curiam Romanam (scilicet Prælato inferiori Judice, non tenetur illi communicare iter aggressum, minus attentari insinuare appellationem, vel eum de hac certiozem reddere, quia ipsamet Prælati scivit, vel scire debuit, iter ad Curiam Romanam arreptum habere vim appellationis arg. c. Si duobus. 7. & c. Meminimus. 9. de Appellat. ac stante hujusmodi appellatione excommunicationem non subsistere. c. Ad præsentiam. 16. de Appellat. cum concord. Hinc in sensu Regulae n. 3. postea notanter additur: si de re notitiam jam habet, vel saltem habere debet; cum scire & scire debere pro eodem sumantur per dicta in Regulam 13. Jur. in 6.

8 Quæritur II. An, & quas Fallentias habeat præfata Regula? Resp. Eam universaliter fallere in iis, in quibus ulterior denuntiatio, seu insinuatio rei alias jam notæ non idè sit, ut alter, cui fit, acquirat rei majorem vel certam notitiam: sed idè, quia ulterior certioratio, seu denuntiatio ex dispositione Juris requiritur ad substantiam & valorem actus, uti cum Dyno hic n. 4. communiter advertunt Doctores arg. l. Denuntiatio. 17. ff. de Adult. & clarè patebit adducendo ad propositum exempla Juris: Sic enim

9 Primo sufficientem notitiam rei jam habens reus absens, ut contumax declarati, & contra eum quàm talem præcedi non potest, nisi prævia trina, vel unatibus æquivalente preceptorum citatione in jus fuerit vocatus; quia sic in Jure expressè disponitur l. Ad peremptorium. 68. cum seqq. ff. de Judicis. & l. Contumacia. 53. ff. de Re judicata. ibi: Consumax est, qui tribus edictis præpositis, vel uno pro tribus, quod vulgo peremptorium appellatur, literis evocatus præsentiam sui facere contemnit: Et amplius diximus Lib. II. Tit. 14. de Dolo & Contumacia.

10 Secundo, ut quis etiam scelerum suorum bene conficius privilegio clericali legitime exuatur, trina monitio prævia de Jure necessaria est, textu claro c. Contingit. 45. de Sentent. Excomm. junctâ Clement. 1. de Vita & honest. Cleric.

11 Tertio pariter requiritur prævia trina monitio, ut quis per Judicem Ecclesiasticam excommunicatione majori feriat. c. Constitutionem. 10. de Sentent. Excomm. in 6. ibi: Judices sine monitionibus tribus aut tribus, sive unâ pro omnibus, observent aliquorum dierum competentium intervalla, & amplius habetur Lib. V. Tit. 39. de Sentent. Excomm.

12 Quarto, quavis testes præsentem audiant voluntatem testatoris, & omnia circa testamentum ritè peragi videant: tamen pro valore testamenti non sufficiunt, nisi testes ut actu adfint, fuerint rogati. l. Heredes. 21. §. 2. ff. qui Testamentum facere possunt. ibi: Testes rogati adesse debent. cum concord. & jam dictum est Lib. III. Tit. 26. de Testam. n. 21.

13 Quinto, Esti Judex causam inter aliquos controversam per se optinè competentem habeat: tamen

men in ea judicialiter procedere non potest, nisi à partibus imploratus, & judicialiter informatus fuerit, non ut notitiam acquirat, quam jam habet, sed ut judici & processibus forma servetur. l. Dies. 4. §. Hoc autem §. ff. de Damno Insesto. ibi: Hoc autem judicium certam conditionem habet, si postulatum est: ceterum qui non postulavit, experiri non potest. Postulare autem proprie hoc dicitur pro tribunali petere, & non alibi, junctâ auhent. C. quomodo & quanto judic.

Secundo Venditor, moræ benè conficius non tenetur emptori de evictione, nisi ab emptore fuerit laudatus, sive de lite, ut causam defendat, prius admonitus. l. Emptor. 18. & l. Empti. 21. C. de Evict.

Septimo Clerici concubinarij, vel alias suspectam mulierem in propria domo, vel extra illam frequentantes, quantumvis scelerum suorum confici, fructibus beneficii, ex parte vel toto, aut ipso beneficii privari non possunt, nisi certe præcedant monitiones juxta præscriptum Concilii Trident. Sess. 25. cap. 14. de Reform. cujus textus hac de re relatu omnino dignus est, ibi: Quam turpe, ac Clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitie foribus immundoque concubinato versari, satis res ipsa communi si delitium omnium offensione, summoque Clericalis in litia dedecore, restatur. Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vite integritatem ministri Ecclesie revertantur; populusque hinc eos magis discat revereri, quòd illos videri honestiores cognoverit: prohibet Sancta Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspitio, in domo vel extra derinere, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin panis à sacris Canonibus v. l. statutus Ecclesiarum impositus puniantur. Quid si à Superioribus moniti ab eis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quoruncumque & pensionum ipso facto sint privati, quæ fabricæ Ecclesie, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicentur. Sin verò in delicto eodem, cum eadem vel alia femina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam à beneficiis ipsorum administratione, quas Ordinarius, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur: & si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum eis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officijs & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis perpetuò priventur, atque inhabiles ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestationem vite emendationem ab eorum Superioribus cum eis ex causa visum fuerit dispensantur. Sed, si postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adungere ausi fuerint, præter prædictas penas ex omnium cationis gladiò pleantur. Nec quis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat aut suspendat: supra dictarumque omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat: qui sine strepitu, & figura judicij, & sola facti veritate inspecta procedere possint. Clerici verò beneficii Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, juxta delicti, & contumacie perseverantiam & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris panâ, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, alijsque modis, juxta sacros Canones

pu-